

Increpat Mundum, sceleri minatur
Sulphur & ignem.

Quid facit contra scelerum cloaca
Mundus? an pravam subit ulla mentem
Pœnitudo? an non scelerum profanos
Corrigit ausus?

O gregem dirum, impium & ô profanum,
Qui Dei rides cathedram, minasq;
Legis, ut bombum reputas, patrasq;
Fanda nefanda!

Perge sic cœlum violare, perge
Sic Dei contra stimulos salire,
Et Deum ridere, tuoq; laxa
Crimini habenas.

Perge, sed perget D E V S ipse deinceps
Non tuas aures mage vellicare
Vi sui verbi: heu, age, vellicabit
Cœlitus aures!

Cœlitus misso tonitru, igne, & imbre,
Turbine & præstere, gravi boatu
Nubium, & flammarum agili typhone
Desuper acto.

Sic tibi pectus tibi collum & aures
Tundet, obtundet D E V S ipse. verbis
Qui nequit mollirier, is lique scat
Verbere crebro.

Hoc